

P H I L I P P U S
P O S I T A N U S
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
EPISCOPUS CALVENSI S

Dilectissimis in Christo Fratribus, & Filiis, Clero, & Populo Calvensibus salutem, & benedictionem in Domino sempiternam.



- (1) Ad Tit. 2. 15.
- (2) P sal. 20. 4.
- (3) Luc. 2. 14.
- (4) ibid. 10.
- (5) Ioan. 16. 20f.
- (6) P sal. 18. 6.

- (7) Greg. 1. 1. 1. 1.
- (8) Prov. 31. 19.
- (9) Ezech. 3. 17.
- (10) Rom. 1. 14.
- (11) 2. Cor. 3. 5.
- (12) ibid. n. 6.
- (13) Tit. 3. 5.

- [14] Sap. 9. 4.
- [15] Rom. 11. 20.
- [16] Eccl. 32. 1.
- [17] Eccl. 3. 20.

- [18] S. Bernar. de confd. l. 4. c. 4.

- [19] idem Epist. 11.


- [20] Ad Phil. 4. 8.

- [21] Pet. 1. 2. 8.
- [22] Iacob. 1. 4.
- [23] Philip. 4. 7.

Expectantibus (1) Vobis beatam spem, & adventum Magni Dei, & Salvatoris Nostri Jesu Christi Superi animarum vestrarum Pastoris, Nos ab eodem in benedictionibus (2) dulcedinis præventi, ac ejus dignatione, & Apostolicæ Sedis gratia in Episcopum hujusce Dioceseos hodie consecrati gloriam [3] in Altissimis Deo dicimus, in hac Terra vestra pacem Vobis omnibus Fratribus, ac Filiis dilectissimis hominibus bonæ voluntatis annunciamus. Utinam hæc indicantes evangelizemus (4) vobis gaudium magnum quod sit omni huic Populo, & tristitia (5) vestra ex tam diuturna Patris orbitate convertatur in gaudium. ac nobiscum magnificetis Dominum Nostrem Jesum Christum, qui tamquam Sponsus (6) universalis Ecclesiæ nosa p... de helamo suo istius Calvensis Cathedræ viduitati per nostram tenuitatem dignatus est providere. Agnoscimus liquidem gravissimam, que data est Nobis per unctionem misericordiæ suæ, & manuum impositionem, sed trepidamus timore ubi verè est timor, considerantes quam gravè onus gravatum sit super Nos, utpotè scientes animarum regimen pondus esse vel Angelicis (7) humeris formidandum; Scimus utique quia exinde manum [8] nostram mittimus ad fortia, opus est fortitudine: Speculatores [9] domus Israel efficitur, opus est prudentia: Sapientibus, & insipientibus [10] debitores facti sumus, opus est justitia; Sed ad hæc omnia numquid sufficientes erimus ex Nobis [11] quasi ex Nobis? nequaquam, sed sufficientiam nostram (12) à Deo esse speramus, rogamusque ut cuncta operetur in Nobis unus & idem Spiritus, qui charitas est, & gratia: sicque gratiæ ejus gratulamur non meritis nostris, quoniam ne Nobis plusquam oportet blandiamur, non ex operibus justitiæ (13) quæ fecimus Nos, sed secundum suam misericordiam fecit hoc Nobis. Vos igitur orate ne gratiam, quam agnoscimus, in vanum acceperimus: ut bonas faciamus vias nostras, & studia nostra, & ministerium sanctum vitæ sanctitate adimpleamus; Deum Optimum Maximum supplici devotione, & devota supplicatione deprecemini ut in Nobis, & de Nobis operetur quod & se deceat, & Nobis, Vobisque expediat; Rogate Patrem luminum ut Nobis impertiri dignetur sedium suarum assistricem [14] Sapientiam, quæ Nobiscum sit, & Nobiscum pro vestro, nostroque profectu laboret. Curabimus propterea in alto positi non altum sapere (15) sed timere, sed humilibus consentire memores illius: (16) *Rectorem te posuerunt noli extolli: esto in illis tanquam unus ex ipsis*; & iterum: *quanto magnus es (17) humilia te in omnibus*. Studebimus stare viriliter pro afflictis & judicare in æquitate pro mansuetis terræ, cunctis denique prodesse magis, quam præesse; Optabimus inveniri compositi (18) ad mores, probati ad sanctimoniam, mansueti ad patientiam, rigidi ad censuram, catholici ad fidem, fideles ad dispensationem, concordés ad pacem, conformes ad unitatem. Hæc meditantés jam penè moventur pedes, jam penè effunduntur gressus nostri ad Vos festinantes, & quidem festinus Nobis erit dies ille ducendus, & (19) memoriale sempiternum, in quo & Vos suscipere, & Nos in cordibus vestris recipi merebimus. Interim sustinete modicum quid dilationis nostræ, quia venientes veniemus, & non tardabimus spem habentes Vos invenire *quæcumque vera, (20) quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ* quærentes, & quasi modo geniti sine dolo omnia quæ recta sunt concupiscentes, ut sitis perfecti; (21) & integri in nullo deficientes, sed solliciti servantes unitatem (22) spiritus in vinculo pacis; Quare Deus pacis sit vobiscum, qui custodiat [23] corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu Domino Nostro, qui est super omnia benedictus in sæcula, & ejus nomine nostram Vobis benedictionem prælargimur.

Datum Romæ extra Portam Latinam in ipso Consecrationis nostræ die 22. Decembris 1720.

ROMÆ MDCCXX. Typis Joannis Francisci Chracas propè S. Marcum in via Cursus.



SUPERIORUM FACULTATE.